



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt. IV. Propositi ænigmatis extricatio quarta ex Nestorio, Verbum factum esse hominem, affectu tantùm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

100. Hinc liquet, primarium Nestorij errorem in eo situm fuisse, quod duas in Christo personas feceretur, nec Verbum factum realiter carnem censeretur, sed tantum per affectum, superflite personarum distinctione. Nestorius enim, ut scribit Sophronius in Synodica quæ est in 6. Synodo, inter Verbum & humanitatem Christi, affectualem duntaxat vniotionem, aut *ισοψύχον* vel *ὁμοψύχον*, id est æqualitatem honoris, vel voluntatum concordiam admisit. [Quod si quis, (inquit Vincentius Lyrinensis c. 17. communit.) eum putat in literis suis vnum Christum dicere, & vnam Christi prædicare personam, non temerè credat. Ant enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona facilius suaderet & mala: sicut ait Apostolus: *Per bonum mihi operatus est mortem*. Aut ergo vt diximus, fraudulentia causa quibusdam in locis scriptorum fuerum, vnum Christum, & vnam Christi personam credere se iactant: aut certè post partum iam Virginis, ita in vnum Christum duas prohibet conuenisse personas, vt tamen conceptus seu partus virginis tempore, & aliquanto postea, duos Christos fuisse contendas. Et cum scilicet Christus homo, communis primùm & solitarius natus sit, & necdum Dei verbi personæ unitate sociatus, postea in eum assumentis Verbi persona descenderit: & licet nunc in Dei gloria maneat assumptus, aliquandiu tamen nihil inter illum & ceteros homines interfuisse videatur.] Notasse ista videtur Lyrinensis, propter Socratem, qui per idem tempus scripsit, & l. 7. c. 32. ex libris Nestorij & sermonibus necessitatorum eius, pronunciauit, Nestorium præ imperitiis solas Catholicas voces esse auersatum; reuera autem Catholicis consensisse. Quod est dicere, S. Cyrillum, & tot Synodos, cum Nestorio de vocibus solis non intellectis agitare dissidia. At hoc nemo sapiens admiserit. Verè igitur, palmaris Nestorij erroris fuit quem diximus, duplicem scilicet in Christo esse, sicut naturam, ita & personam.

*Eiusdem alius error consequens, aduersus
Deipara titulum.*

101. Huic primario errori, consequens erat alius, quo B. Mariam negabat dicendam Deiparam, nec nisi *Christi param* vocari patiebatur, vel certè *homini param*. Sanè cum Anastasius Presbyter, inter concionandum B. Mariam vocasset *ἀδελφὴ τοῦ θεοῦ*, indeque non exigua in Catholico populo extitisset offensus, Nestorius Anastasij quo familiarissimè utebatur, & cuius omnia consilio gerebat, profanam nouitatem ratam habuit, vocatus (vt Theodoretus l. 4. hæret. fabul. prodidit,) qui Mariam nuncuparet Dei matrem, non habere vnde Gentiles Cybele Deorum matrem fabulantes reprehenderent. Nec mirum quod Nestorius B. Mariam negaret esse Dei matrem, quandoquidem censebat filium eius esse hominem purum, nec nisi per gratiam & affectum agnoscebat eum Deum: atque adeò non verè & propriè nomen Dei illi tribuebat, sed tantum ratione deputata aut *assumptæ nuncupationis*, vt loquar cum S. Hilario l. 7. de Trinit. vbi talis extensionis diuini nominis exempla ex scripturis adducit, & multa etiam collegit S. Gregorius homil. 8. in Ezech. & lib. 4. epist. 31. vbi refert illud Constantini de sacerdotibus, à Rufino item proditum l. 10. histor. c. 2. [Vos dñi estis, à vero Deo constituti. Itè, & inter vos causas vestras iudicate, quia dignum non est vt nos iudicemus Deos.] En sacerdotes dictos Deos, quia dignitate exornantur Dei Vicaria, Deumque representante. Qua etiam ratione, infinites in scripturis, Angelus nomine Dei apparens. Deique personam sustinens, nuncupatur Deus. Quod dignitas & munus, prædictis contulit vt Dñi nominarentur, hoc Dei gratia & amicitia præstetit aliis, quibus obigit audire Deos, eo quod Deo essent amici.

Pulchrè Hilarius Diaconus apud Ambrosium 1. Cor. 3 ad illud, *nonne homines estis?* [Sicut gloriantes in Deo & de ipso omnem gratiam sperantes, Dñi dicuntur à Deo adoptati, ita in homine gloriantes, & homines & carnales dicuntur, sententia Dei conclusi, qui ait; *Ego dixi Dñi estis, vos autem sicut homines moriemini.*] Scitè quoque S. Macarius homil. 15. [Qui sub iugum animæ suam mittit, & qui sibi innatque cupiditatibus succedet, perinde se habet, ac qui ciuitatem hostium suorum subiungat: hincque meretur assequi bonam mensuram Spiritus, atque induit virtute diuina adiutus purum hominem, seque ipso præstantior euadit. Eiusmodi enim qui est, postea in Deorum numerum relatus, euadit filius Dei, recepto signo cælesti in animâ suâ. Electi enim eius, vnguntur oleo sanctificante, & in magna dignitate constituuntur, ac reges euadunt.] Hoc sensu S. Basilii referente Nazianzeno orat. 20. nu. 74. cum à Valenti Præfecto vrgeretur ad Arianismum, respondit. [Nullam rem creatam adorare sustineo, cum & ipse à Deo creatus sim, & Deus esse iubeat.] S. Maximus dialog. de scopo incarnationis, hortatur vt quandoquidem dedit nobis Deus potestatem filios Dei fieri, [Tradamus nos ipsos Domino perfectos, vt perfectionem eius recipiamus. Fiamus Dñi per ipsum: nam propter hoc ipse, homo factus est, cum natura Deus esset & Dominus.] Idem varios nostræ huius Deificationis gradus distinguit: centur. 4. ex variis c. 19.

102. Cum igitur Nestorius, Christum non nisi hac ratione Deum agnosceret, consequenter B. Mariam, non *θεοτόκον*, sed *χριστοτόκον* nominabat: contra quam Arrius & Eunomius ac Apollinaris, qui vt naturarum in Christo confusioem & commixtionem stabiliarent, vocem *θεοτόκος* adamabant, vt est apud S. Cyrillum in defensione 4. anathematismi, iuxta hanc porò suam de filio & matre existimationem, Nestorius carnem Christi vocabat *θεοτόκον*, id est imaginem susceptricem Deitatis, teste Cassiano l. 3. de incarn. cap. 15. Eaque ratione vacauit difficultate apud eum enodatio diuinitus propositi ænigmatis. Nihil enim intellectu facilius, quam eundem esse hominem & Deum, affectu & amore: quod Nestorius & Nestoriani vocabant, esse Deum gratia, non natura: aut esse Deum per *preuentum*, non per naturam, vt idem eos locutos refert. c. 5. [Personalem enim vel substantialem vniotionem naturarum], non aliter astruebant ex eodem c. 3. quam [secundum illustrationem, aut dilectionem, aut affectionem; siue secundum auctoritatem, aut potentiam, vel æqualitatem honoris, consequentem ex dilectione & gratia: a qualitate porò intelligebant eam tantum, quæ analogia & proportionem quadam inter Deum verum, ac Deum adoptione, vel affectu, potest intercedere: idque esse, [duas naturas post vniotionem indiuise subsistere], aiebant Nestoriani apud S. Cyrillum epist. 2. ad successum, interrogat. 4. Cum autem dicerent, Iesum non esse Deum nisi per gratiam, & meritis suis illum prouentum, addebant iustos quoque omnes, si vellent, posse ad idem diuinum decus aspirare. Ex eo cæceno extitit conuatio illa ranæ immundissimæ, relata à S. Gregorio 18. moral. c. 35. [Non inuideo Christo Deo facto, quoniam si volo, & ipse possum fieri.] Quam infandam vocem, plenè ibi & sequenti capite confutat S. Doctor, dicens fuisse cuiusdam Hæresiarchæ, Maras autem Presbyter Edessenus, in libello oblato Concilio Chalcedonensi actio. 10. & apud Facundum Hermianensem l. 5. pro tribus capitulis c. 2. eam vocem tribuit Ibae, Edesseno Episcopo: qui tamen contestatus calumniam, respondit. [Decies millies ego secari patiar, quam dicere hoc verbum. Absit à me, hoc verbum vel cogitare.] Verisimile igitur est, hæresiarcham illum cui eam terribilè blasphemiam tribuit S. Gregorius, fuisse ipsummet Nestorium, quem hæresiarcha titulo notat idem S. Gregorius lib. 4. regist. ind. & 13. epist. 32.

MAIERS

Maiores Nestorij.

103. Non eo consilio Nestorium hæresiarum no-
mino, quasi primus ipse docuerit esse in Christo duas
personas, & Christum esse purum hominem reipsum, nec
ipsi capite dictum Deum. Quod ab aliquibus sup-
ponit valde miratur Castro V. *Christus*, hæresi. 3. & pro-
ponit, qui ante Nestorium, fuisse qui etiam illam do-
cuisse refert & refellit S. Ambrosius l. de Incarn. Dom.
Socran. c. 6. Eundem exagitat in nonnullis S. Hilarus
l. de Trinit. *sub finem*. Sed & inter anathematizatos
Gregorij Neocesariensis, quintus in idem peruersum
dogma, tanquam tunc vigens, innotuerat. Attici Con-
stantinopolitani librum de fide ad Reginas, quo Ne-
stori dogma ante exortum Nestorium impugnabatur,
memorat Marcellinus in Chronico. Imo Anastasius
Sinaita in *479*, non modò sæpè confirmat errorem
Nestorij fuisse Nestorio anteriorem, ut videre est c. 4.
in fine, & cap. 7. *sub medium*, sed etiam cap. 20. *sub finem*,
mentionem impingit S. uero, eo quod affirmasset pri-
mum Nestorium sic errasse. Monstrat autem Anasta-
sius, docentis ante Nestorium annis viginti errorem
illam, primò ab Artemone fabricatum. Dimisit Ebi-
onem, qui Ecclesiæ initio, vomuerat Christum esse
purum hominem, quia non duos Christos ut Nesto-
rius, sed unum eumque planè purum hominem in-
iunctæ Ebon, ut notat Cassianus lib. 1. de Incarn. c. 2.
Et idem est de Euphrata, Episcopo Colonienfi, dam-
nato in Concilio Aggypienfi sub Iulio. 1. Qui autem
in sensu Nestorij, & duas in Christo personas fingen-
do, errorem eius tradiderint, recenset in hunc modum
Anastasius. [Primus Christum in duos diuinitatem
Synodum Nicenam ducentis annis antecessit. Post
quem Origenes etiam, Christum tantummodò homi-
nem esse docuit. Quem secutus Paulus Samosatensis
dogmata annis ante Synodum Nicenam. Artemonis
hæresim resuscitauit. Post Paulum & Synodum Nic-
nam, Theodorus Antiochenus, Nestorij Magister, &
Diodorus, Christum duos esse tradiderunt. His succe-
dit impius Nestorius.] Moxque ex Concilio Ephesino
demonstrat, verè Nestorium, eadem cum Paulo Sa-
mosatenso ante annos 160. damnato, sensisse id quod
eum habetur ex epistola Dionysij Alexandrini ad
Paulum Samosatensem, & ex libro gestorum de no-
mine Acacij, recens quidem vulgato, sed ut eius ini-
tium habet, conscripto quinquaginta & octo annis
post Nestorium. Programma parallelorum Pauli Sa-
mosateni atque Nestorij, quod publicè Constantinopo-
li affixum fuisse, referunt illud exhibentes Anasta-
sius ibid. & Leontius lib. 3. contra Nestor. & Euty-
ch. *sub medium*, compoluit Eusebius tunc iudex, postea
Episcopus Dorylæi, primus Nestorij ac postea etiam
Eutycheis, acculator.

104. Obseruat autem perappositè Anastasius cap.
illo 4. *sub finem*, tum demum à Satana inuictum Ne-
stori errorem, cum sagittas in Verbi & Spiritus sancti
diuinitatem frustra intortas vidit. Ait ergo, Satanam
post Ariannam orchestram, adomasse Charybdin fe-
pationis, per Theodorum Antiochenum, postea
Mopuestia Episcopum, ac Diodorum Præsulem
Tharsensem, quos vocat diuisionis principes non
quod primi, Christum in duas personas soluisent, sed
quod primi post cæstrum Ariannam, Ecclesiam ex eo
capite vexassent. [Ex ijs velut radicem quandam hel-
lebori, Chaldaum porcum, Assyrium Nestorium]
prodixit docet. De Diodoro Nestorij in hoc errore
Magistro, testis est S. Cyrillus initio epistolæ. 1. ad Suc-
cessum. Quanquam fortiter pro Diodoro purgando
pugnat Facundus Hermian. l. 4. pro tribus capit. c. 2.
grauissimos quoque Patres pro eo proferens. Idem
Facundus, pro Theodoro Mopuestiano, multò etiam

acrius & fortius agit vniuerso propè illo opete. Sed
Theodorum valde premunt vel etiam opprimunt
multa quæ ex ipsomet Theodoro collegit Leontius l.
3. contra Nestor. & Eutyech. Optimus est locus quæ ex
eius epistola ad Dominum recitat Anastasius Presby-
ter in Ecloge. [Naturatum (inquit) quæ iuxta *sub oclis*
fit adonatio, vnam virtutemque communi nomine appel-
lationem præstat, voluntatem, operationem, aucto-
ritatem, potentiam, Dominatum, dignitatem, Imperium
nullomodo diuisum, cum vna vtriusque secundum il-
lam sit dicaturq; persona.] Et post alia [Et quid multis
opus est? vnitiois secundum substantiam ratio, in so-
lis consubstantialibus vera est; in ijs quæ alterius sunt
substantiæ, falsa: cum sine confusione esse nequeat.
Vnitiois verò iuxta *Eudocias* modus, inconfusas set-
uans naturas & indiuisas, vnam virtutem quæ personam
ostendit, vnamque voluntatem, & operationem vnam,
cum vna quæ ista consequitur auctoritate ac Domi-
nati, [Et post alia rursum.] Iuxta modum enim
Eudocias, Deo verbo coniunctum, ut diximus ab ipso
vtero quod ex Virgine natum est templum, mansit in-
diuisum, eandem in omnibus cum ipso habens vo-
luntatem, eandemque operationem, quibus nihil esse
potest coniunctius.]

Vides, manifestissimè tradi à Theodoro Nestorij
errorem, nec iniurià fontem erroris Nestorij ceteri.
Astipulatur Phorius Cod. 58. & 81. & 177 quibus lo-
cis, Magistrum erroris Nestorio factum Theodorum,
profiteretur. Indiligenter itaque quidam recentior 3. p.
q. 2. n. 15. dixit Theodorum haussisse à Nestorio suum
errorem, allegans in eam rem Constantinopolitanam
Synodum secundam, actio. 8. c. 4. Sed ubi dicitur tradi-
tur quod affirmauimus: nempe Nestorium, Theodoro
erroris Magistro vltum. Damascenus item, quem idem
autor in eandem sententiam allegat, nihil tale habet
quale ei tribuitur ad hoc autore.

Quis aliquando inter eos Leporius: deque Nesto-
rianorum cum Pelagianis affinitate.

105. His Nestorij antecessoribus, adiungendus est
Leporius, & autor incertus hæreseos quam Leporius
professus est. Scribit enim Cassianus lib. 1. de Incarn.
c. 2. & 3. Paulo ante quàm fueret Nestorius, exortam
esse incerto parente hæresim ex Pelagianistis descen-
dentem, à Leporio nunc monacho Pelagiano, in Gal-
lia, inter primos aut inter præcipuos traditam. Id quod
etiam scribit Facundus lib. 1. pro tribus capit. c. 4.
Piscus, Leporium Anglum facit Episcopum, & qui-
dem in Hispania statuit Flau. Dexter, fusè reiectus à
Pennoto l. 1. histor. Cano. regul. c. 55. Non nisi Presby-
terum, retractasse in Africa errorem, constat ex eius
palinodia recens edita cum D. Augustini adscriptione.
Leporij hæresim, Cassianus vocat Nestorianæ germa-
nam & consanguineam: libro autem 5. c. 1. ait eam hæ-
resim fuisse [Pelagianæ hæreseos discipulam atque
imitatricem] quippe quæ statneret, Christum natum
esse solitarium hominem, hocque quod ad Dei postea
honorem potestatemque peruenit, humani fuisse me-
riti, ita ut homo ille purus, postea in laboris & passio-
nis præmium accepit diuinitatem qua ante carnerat.
Et quia Christus cum solitarius homo esset, absque
peccato vixerat, inferebat ea hæresis, omnes quoque
homines, si velint, absque peccato esse posse: nec di-
cendos esse à Christo redemptos, quippe qui excluso
alieno auxilio, saluari solo suo nisu possunt, nec nisi do-
ctrinam & adiumentum bonorum exemplorum à
Christo acceperint. Huius Pelagianæ propaginis, susce-
ptum Nestorium facit Cassianus lib. 1. c. illo 3. ducto
argumento ex Nestorij scriptis pro consanguinea sibi
improbare Pelagianorum, qui à Cælestino Romano
Pontifice exagitati, ad illum confugerant, ut liquet

ex Nestorij ad Cœlestinum epistolâ pro Pelagianis, quæ superest apud Baronium anno 430. Vicissimque Cœlestinus, ut memorat Phorius Cod. 53. Pelagianos castigavit, scribens ad Nestorium. Eadem iterat Cassianus ibid. l. 5. c. 1. & 2. & lib. 6. c. 14. vbi Nestorij & Pelagianorum aliquale discrimen profert. Fateor difficile esse, ostendere quid Pelagiani primi, ipsæque Pelagius, cum errore Nestorij commune habuerint. Nam D. Augustinus lib. de gestis Pelagij c. 11. & 14. & 35. profert errores Pelagij, numquam illi impingit Nestorianismum. Imo l. de prædest. c. 15. & lib. de bono persever. c. 24. & alijs locis notatis à Magistro in 3. d. 6. in 1. sententia, vt Semipelagianos circa salutis initium ex humano merito iuguler, assumit sine probatione, tanquam apud ipsos quoque Pelagianos exploratum, exemplum prædestinationis Christi in Deum hominem, quæ Christo absque vllis planè meritis obtrigit. Ex altera tamen parte, durum est Cassiano homini & doctissimo & sanctissimo, res suorum temporum scribenti, mentionem impingere, & quam ille prædicat Pelagianæ & Nestorianæ hæreseos germanitatem difficili.

Quare non incommode fortassis liceat dicere, non id ipsum quidē sensisse Pelagianos de duplici in Christo persona, quod postea senserunt Nestoriani: idcirco tamen dictos Nestorianos vestigia Pelagianorum relegere, quod Nestoriani, de Christo Deitatem assequente per gratiam, philosopharentur eodē modo quo Pelagiani ante senserant de omnibus hominibus adoptionem filiorum Dei consequentibus. Ita colligitur ex epitaphio Pelagianæ & Nestorianæ hæreseos, quod legitur apud Proterum ante librum aduersus ingratos, & optimè ex Phorio Cod. 54. cuius verba quia adhuc caliginem dispellendam sunt peraposa, iuuat adscribere. [Lectus est liber contra Pelagianam & Cœlestianam hæresim, cuius hæc inscriptio, EXEMPLAR ACTORVM ab Occidentis Episcopis aduersus Nestorianam & Cœlestianam hæresim: testemque laudat Cyrillum Alexandrinum Episcopum, ad Theodosium Imp. Nestorianam & Cœlestianam hæreses conspirare scribentem. Planum id est, inquit, Cœlestiani enim de corpore, seu membris CHRISTI, hoc est de Ecclesiâ petulantè ista iactant: Non Deum ipsum, id est Spiritum sanctum, fidem ipsam, omniâque ad vitam, pietatem, & salutem necessaria, priuatim diuidere vnicuique, prout velit, sed constitutam hominis naturam, (quæ per transgressionem, & peccatum beatitudine excidit, atque à Deo separata, morti tradita est,) pro merito voluntatis vnus cuiusque Spiritum sanctum & appellare, & repellere. Nestoriani verò de ipso etiam corporis capite CHRISTO, eandem sentire & affirmare audent. Afferunt enim, quandoquidem nostræ CRISTVS naturæ sit particeps factus, & Deus omnes homines similiter saluos fieri velit, vnumquemlibet, etiam per arbitrij sui libertatem, proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere. Quamobrem qui ex MARIA sit editus, non esse Verbum, sed ex ea genitum, ob naturalis voluntatis dignitatem, habere verbum concomitans: cum sola ista nobilitate, & eadem appellatione communicet cum ratione filiationis.]

*Sectatores Nestorij, & num inter eos
Theodoretum.*

106. Habemus non paucos Nestorij anteambulones, tamen ei peculiariter tributus est error duplicis in Christo personæ, & abrogari B. Mariæ, tituli Deiparæ, quia pro dignitate quæ eminebat, errorem illum maximè promouit atque diffudit. Quamquam Sectatorum eius nonnullos, in speciem aliquando execratos duplicem Christi personam, & quæstui vel gloriæ in-

tentos, Iesum sæpè per simulationem nominasse Deum, & Mariam, Deiparam, scribit Anastasius cap. 4. *id est in fine.* Sitne his Nestorij sectatoribus annumerandus Theodoretus, dubitari potest. Eius scripta contra S. Cyrillum, anathemate percelluntur in S. Synodo c. 12. traditurque diserte Pelagius 2. epistolâ contra rtiâ capitula c. 20. reprehensionem anathematismorum S. Cyrilli à Theodoro editam, ac etiamnum superstitem, esse perspicue Nestorianam. Nihilominus Leontius lib. de Sectis actio. 4. ait, omnia illa à Theodoro facta esse in gratiam Ioannis Antiocheni à Cyrillo dissidentis. Negat item Leontius, vnquam constituisse de Theodoro Nestorianismo; epistolam autem eius ad Nestorium, affirmat esse confictas. Quicquid verò sit, an Theodoretus aliquando fuerit reipsa Nestorianus, constat eum postea Catholica Ecclesiâ redditum in Concilio Chalcedonenfi actio. 8. Vnde lib. 4. hæret. fabul. in fine. Nestorium annumeravit hæreticis. Et ita Pelagius Papa, approbante S. Gregorio. Satis de antecessoribus & fautoribus Nestorij, dimissis recentioribus, vt Beza: quod euincit Genebrardus ad Symbol. Athan. n. 28. ac Luthero, Caluino, Brentio, Serueto, de quibus Nestorij partiaris, Canil. l. 3. Marial. c. 18. Bellarm. l. 3. de Christo, c. 5. & Valencia 3. p. d. 1. q. 2. p. 2.

Hostes Nestorij.

107. Impugnatores Nestorius habuit quamplurimos. Primus omnium insiluit in eum, homo laicus, quod iuuat ex S. Cyrillo discete lib. 1. petab. c. 5. [Cum Nestorius, (inquit,) in media Ecclesiâ profanis vtetur vocum nouitatibus, vt quidam sanè probus, qui adhuc inter laicos erat, sed tamen admirabilem sibi collegerat eruditionem, feruenti & religioso zelo per-motus, & contentiori voce inclamans, ipsum inquit ante sæcula Verbum, etiam secundam lubijse generationem, id est illam secundum carnem & ex muliere: tumultuantibus ad ista populus, & maiori ac saniori parte maximis illum ludibus attollente, vt pium & sapientem, inprimis & rectorum dogmatum haud expectem, alijs nihilominus aduersus illum efferatis, ipse se interponit, moxque illis approbat, quos sua docendo perdidit, ceterum in eum linguam exaciuit, qui ipsius dogmata non sustinuerat, & in sanctos Patres qui piam fidei deffinitionem constituerant.] Laicum illum, fuisse Eusebium, postea Episcopum Dorylæi, iam supra dixi ex Leontio. Aduersari deinde Nestorio sunt, pij & docti quique eui illius. Omnium verò latissimè & fortissimè S. Cyrillus, varijs lucubrationibus quæ spissum volumen implent. Nec pauca etiam insertæ habentur Concilio Ephesino editionis Peltani. S. item Leo varijs epistolis ac sermonibus Nestorium contriuit, vt meriti ei hoc elogium pangat Phorius Cod. 125. [Quis alius acutius telum in Nestorium impium torfit, quàm voce robusta Leo?] Eiusdem S. Leonis hortatu, Cassianus, egregium opus de Incarnatione conscripsit aduersus Nestorium. Eum quippe esse quem illo opere impugnat Cassianus, constat ex l. 7. c. 30. & 31. vbi Constantinopolitanos per vnitatem fidei fratres, & [per affectum patriæ, ciues suos:] (audiant qui vno nixi Gennadio, Cassianum faciunt Scytham, cum ipsemet patriam sibi Constantinopolim agnoscat, quo etiam spectans Phorius Cod. 197. Cassianum vocat Romanum, id est nonæ Romæ ciuem?) Constantinopolitanos inquam ciues suos, hortatur vt à lupo rapaci quem toto opere exagitarat, quique ab anterioribus Præsulibus, Gregorio Nazianzeno, Nestorio, Ioanne Chrysostomo turpiter descuerat, auerterentur: quæ aperit cadunt in Nestorium, tantorum Antistitem successorem. Quod autem lib. 6. c. 6. Episcopum illum quem toto opere confutat, ait in Eccle-

tur vestito, sic humanitas non nisi accidentariò, & per affectum & salua sua personalitate creata vniatur Verbo, quæ fuit Nestorij interpretatio. Non est inquam in hoc sita vestis & humanitatis analogia, sed in eo quod quemadmodum per vestes homo apparet, eique vestes coaptantur, ita & Verbum per humanitatem quam sibi coaptavit, factum est visibile.

111. Similiter humanitatem Christi dici templum diuinitatis, in confesso est, ipseque Euangelista de templo corporis sui dixisse Christum *soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud*, Euangelista quid hoc esset consequenter exponens, ait: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui.*

112. Absit tamen, vt ex eo quod humanitas Christi dicta est *templum Dei*, inferri sinamus duplicem Dei & hominis in Christo personam. Sicut neque ex eo quod Christi humanitas dicta sit *Domus Verbi*, inferri potest eam habuisse suū connaturale suppositum. Vnde S. Gregorius 33. Moral. c. 21. tractans illud, *sapientia edificauit sibi domum*, accommodans eam domum humanitati Christi, bene admonet, eundem esse qui inhabitat, & qui inhabitatur. Idem dicendum est de vocibus *tabernaculi* seu *tentorii* quas item Patres humanitati Christi adaptant. Pulchrè S. Ambrosius in Psal. 45. ad illud, *Deus in medio eius*. [His (inquit) luminis sapientie mentibus ciuitas illa, in qua Deus inhabitat, irrigatur & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod Virgo generauit, de quo Gabriel Angelus dixit: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Bonum tabernaculum, quod nulla potuerunt obumbrare peccata, Admirabile templum Dei, & aula cælestis, quod solum corruptum non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio ciuitatis eius erat, nec commotus est: siue quia nullius peccati prolapione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebre mutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius Dei gratia: sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluione delicti immaculata durauerit. En Dei tabernaculum iuxta S. Ambrosium. Theodoretus quoque Dialo. 2. describens S. Chrysostomum ad illud Ioan. 1. & habitauit in nobis, obseruat Græcam vocē esse, *καὶ οὐκ ἦν* id est *fixit tentorium*, seu *fuit sicut in tabernaculo*.]

S. Ambrosius in Psal. 47. ad illud, *suscipimus Deum misericordiam tuam in medio templi*, ea verba putat referri posse, & ad Deum Verbum, & ad Patrem: censetque humanitatem Christi, templum dici posse ratione vtriusque. Sic enim scribit. [Si ad Filium Dei dicitur, templum, ita intelligimus secundum quod ipse de corpore suo dixit: *Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud*. Verè templū Dei, corpus & Christi, in quo est nostrorū purificatio peccatorum. Verè templū Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse cōtagiū, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificiū. Verè templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo diuinitatis habitabat: quoniam ipse Christus est plenitudo. Ergo ad ipsum dicitur: *Suscipimus Deum misericordiam tuam in medio templi tui*. Quod quid est, nisi quod ait: *Medius vestri sit, quem vos nescitis*? Hoc est in medio vestri est, & non videtur. Si autem ad Patrem refertur, quid est, *in medio templi tui*, nisi quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: in illo ergo templo, suscepimus, inquit, misericordiam tuam. Hoc est, verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis. Sicut enim redemptionis Christi, ita & misericordia. Quæ autem maior misericordia, quàm quod pro nobis flagitijs, se præbuit immolandum, vt sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit: *Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitauit in vobis*; quanto magis carnem Domini Iesu, templum Dei dixerim, qui semper plenitudo Spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicens: *Sentio de me virtutem exisse, quæ virtus omnium vulnera acerbata sanabat*.]

S. Augustinus epist. 57. ad finem, humanitatem Christi, templo collatam agnoscit, & quomodo Coloss. 2. dicatur in eo templo habitasse diuinitatem corporaliter, egregiè his verbis aperit. [De ipso verò capite nostro, Apostolus ait: *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Nō idēō corporaliter, quia corporeus est Deus: sed aut verbo translato vñs est, tanquam in templo manu facto non corporaliter sed vñbraliter habitauerit, id est, præfigurantibus signis.

Nam illas omnes obseruationes, vñbras futurorum vocat, etiam ipso translato vocabulo. Summus enim Deus, sicut scriptū est, *nō in manus factus templi habitabat*. Aut certè corporaliter dictum est, quia & in Christi corpore quod assumpsit in Virgine, tanquam in templo habitat Deus. Hinc est enim quod Iudeis signum potentibus, cum dixisset: *Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud*, Euangelista quid hoc esset consequenter exponens, ait: *Hoc autem dicebat de templo corporis sui*.]

Denique Petrus Damiani serm. de exaltat. S. Crucis collationem humanitatis Christi, cum templo Hierosolymitano, fuscè & pulchrè persequitur.

112. Absit tamen, vt ex eo quod humanitas Christi dicta est *templum Dei*, inferri sinamus duplicem Dei & hominis in Christo personam. Sicut neque ex eo quod Christi humanitas dicta sit *Domus Verbi*, inferri potest eam habuisse suū connaturale suppositum. Vnde S. Gregorius 33. Moral. c. 21. tractans illud, *sapientia edificauit sibi domum*, accommodans eam domum humanitati Christi, bene admonet, eundem esse qui inhabitat, & qui inhabitatur. Idem dicendum est de vocibus *tabernaculi* seu *tentorii* quas item Patres humanitati Christi adaptant. Pulchrè S. Ambrosius in Psal. 45. ad illud, *Deus in medio eius*. [His (inquit) luminis sapientie mentibus ciuitas illa, in qua Deus inhabitat, irrigatur & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis anima quæ inhabitatur à Christo, vel corpus illud quod Virgo generauit, de quo Gabriel Angelus dixit: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Bonum tabernaculum, quod nulla potuerunt obumbrare peccata, Admirabile templum Dei, & aula cælestis, quod solum corruptum non potuit, sed intra triduum resurrexit, resuscitatum ab ipso qui mortuus videbatur. Nec mirum, quando Deus in medio ciuitatis eius erat, nec commotus est: siue quia nullius peccati prolapione commotus est Dei filius, nec alicuius erroris offensione titubauit, aut corporalis illecebre mutauit impulsu: siue quia non reliquit animam eius Dei gratia: sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni colluione delicti immaculata durauerit. En Dei tabernaculum iuxta S. Ambrosium. Theodoretus quoque Dialo. 2. describens S. Chrysostomum ad illud Ioan. 1. & habitauit in nobis, obseruat Græcam vocē esse, *καὶ οὐκ ἦν* id est *fixit tentorium*, seu *fuit sicut in tabernaculo*.]

In humanitate igitur, siue tanquam templo, siue tanquam domo aut tabernaculo, habitauit Verbum, absque tamen personæ duplicitate, quam peperam ex verbo *habitandi*, colligebat Malchione referente Paulus Samosatenus, vt scribit Petrus Diaconus de Incarn. c. 3. Quomodo autem in hac sua domo, aut templo, vel tabernaculo, habitauit Verbum corporaliter, vt dicitur Coloss. 2. non vna omnium expositio est. Rupertus lib. 6. de process. Spir. sancti c. 3. id reulit ad plenam & totalem donorum Spiritus sancti collationem Christo factam, specie columbæ significatam, quæ tota & integra Christo insedit. Minus violenter Agobardus serm. de Trinit. inhabitantem corporaliter in Christo plenitudinem diuinitatis, exponit de habitatione ei contradiſtincta qua diuinitas in nobis spiritualiter inhabitat, ita vt corporaliter, eo loco idem sit, quod substantialiter & re ipsa. Sicut apud Tertullianum, corpus idem est quod vera substantia, vnde & corpus Deo tribuit, id est veram solidamque substantiam. Cui interpretationi suffragatur videtur Iſido. Pelus. l. 4. epist. 166. existimans, habitare corporaliter, idem esse quod habitare substantialiter & non accidentariò. Pulchrè D. Augustinus supra adductus ex epist. 57. & lib. 12. de Genesi ad liter. c. 7. corporaliter idem esse censet, atque non iam per vñbras, sed re ipsa & per vñbrarū antegressum veritatem. Nobis perinde est, quæcunque ex his interpretationibus appro

CAPVT V.

Expeditio quinta enigamatis ab Eutyche, Verbum carnem factum per vtriusque mixturam & confusionem, asserente.

114. **E**nigamatis diuinitus propositi enodatio ad quam aggredimur, aliorum fuit, quos liber gestorum de nomine Acacij affirmat deteriora effari- uisse quam Nestorianos. [Nam fidentissimè dicunt rem ineptam, rem etiam stolidis execrandam; ante vnitionem, id est ante Incarnationem, duas dici debere naturas, post verò vniam Dei Verbi tantum incarnatam. Vt si dicamus aliquid ceratum, aut picatum, aut stagnatum, aut quolibet alio genere coloratum.]

Quis Eutyches, & eius error.

Verum hic error diuersimodè traditus reperitur. Appollinaris enim ita factum censuit inuecta conuer- sione Verbi in carnem: id quod etiam dixit aliquan- do Eutyches; quanquam frequentius & vltimo, id pronunciauit inuecta conuerfione carnis in Verbum. Fuit etiam cum diceret, id factum per mixturam car- nis & Verbi, & confusionem vtriusque in tertiam na- turam. Notarunt hanc in Eutyche inconstantiam varij Patres. Ardens enim odio in Nestorij errorem, quo ex capite laudatur à S. Leone episto. 6. & in Syno- do sub Flauiano actio. 4. vt vniam in Christo retine- ret personam, nunc inuexit conuerfionem Verbi in carnem, vt testatur S. Leo episto. 97. c. 1. & prolatis ipsimet Eutycheis verbis Theodoretus l. 4. heret. Fabula. in fine: Nunc asseruit conuerfionem carnis in Verbum, vt sæpe memorat S. Leo, & Gelasius initio libri de duabus naturis, ac Petrus Damiani Opusc. 1. c. 5. nec non Vigilius in opere contra Eutychem, nomi- natim in calce libri primi; denique passim Concilium Chalcedonenfe, vt propterea verius videatur, hic tan- dem conuenisse Eutychem. Fulgentius tamen l. de Trinit. c. 5. sub distinctione tribuit Eutychei quod Incarnationem expoluerit, vel per conuerfionem car- nis in Verbum, vt iam diximus; vel per vtriusque na- turæ adunationi præexistentis transitum in tertiam na- turam; quod secundum, diseret de eo habet S. Leo serm. 8. de Natiu. Dom. c. 5. Exiltimo quoque in Eu- tycherem cadere, quæ in hunc sensum referuntur apud D. Augustinum serm. 191. de tempo. Verbis illis. [Illo- rum execrator similiter blasphemiam, qui nouo sen- su asserere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia quæ erant diuinitatis, in hominem demigrasse; & rur- sum quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæretis ausa est dicere, vincat- tur hac confusione vtriusque exinanitam esse substan- tiam, & Deitatis scilicet & humanitatis: & amisso proprio statu in aliud esse mutata: vt qui tam Deum perfectum in Filio, quam hominem profitemur, nec Deum verè nec hominem temerè credamus.] Hæc cur existimem in Eutychem vibrari, facit quod no- uum errorem abs se exagitari profiteatur autor: quem non esse D. Augustinum, styli diuersitas monstrat. Vnde eliditur quod de D. Augustini morte, decennio an- te exortam Eutycheis hæresim, obijci poterat. Hic est Eutyches Archimandrita, si tamen *Eutyches* reuera dicendus, & non potius *infelix nimis*, vt eam vocem contexit Quintianus Asculanus, epistola ad Petrum Fallonem. Visum est Corderio ad catenam nouam Græcorum in Lucam, huius, Eutycheis esse fragmen- ta quædam, quæ in ea catena leguntur nomine Euty- chij Patriarchæ; quod enim Eutyches esset Archiman- drita, dictum putat Patriarcham. Non credo. Et accedit nominum diuersitas aliqua. Nec enim idem prorsus sunt,

approbetur, sicut etiam parum nostra refert, an ple- nitudo diuinitatis quam in Christo inhabitasse ait eo loco Apollolos, accipienda sit de inexistencia omnium attributorum absolutorum collata Christi humanitati per Verbum, vt eum locum accipit Anastas. Sinaita c. 17. id est *sub faciem*; an verò referenda sit ad vnionem cum corpore, non Verbi tantum, sed & mediare totius di- uinitatis, vt interpretatus est Dionysius Alexandr. epi- stola contra Paulum Samosatensem, ad interrogatio- nem eius. 7. & S. Leo serm. 15. de pass. in fine. 115. Inuicem totius huius loci discussionè à S. Cy- rillo adhibitam l. 1. pentab. c. 8. inuat apponere, quod de locum ipsum optime illustret, & rubiginem ex ver- bo subabstrahenda, à Samosatens, & alijs Nestorij quæ an- tecessoribus, quæ affectis inuectam, potenter detergat. At enim (inquit Nestorius), scriptum est de Deo Ver- boe habitant in nobis. Dixit etiam beatus Paulus de om- nium Salvatore Christo: *In eo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Facit illud habitasse in nobis, (sic namque scriptum est:) nec non in illo habitasse, ubi dicente nō repugnabo: sed velim apponere, quod legorum voces examinare. Nam beatus Euangelistæ, cum prius dixisset, *Verbum caro factum est*; subiunxit opportune, *habitant in nobis*; Vt per vtrumque inte- gram Christi mysterij cognitionem nobis traderet. Nam vnium esse carni secundum Hypostasim illud ex Deo Patre Verbum, indicauit aperte cum dixit, ip- sum esse carnem factum. Iam verò carnem esse factum, non in carnis transisse naturam, neque mutationem in id quod non erat subiisse, sed cum eo quod secun- dum nos factum est, mansisse quod erat id rursus per- spicuum facit, illa verba, *habitant in nobis* prioribus il- lis adiiciens. Habitasse autem dicit beatus Paulus in Christo omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter, ne quisquam simplicem vel habitudinarium habi- tationem suspiceret, sed veram, vt modo dixi, & secun- dum Hypostasim. Neque enim vir ille spiritu Dei ple- nus, ignorabat incorporeum esse Dei Verbum & im- palpabile. Verum quia necesse erat vt mysterij explica- tio nulla ratione manca videretur, sed adeo accuratè ac distinctè ad rectam regulam veritatis tradere- tur, vt omne miraculum superaret, vim inferet conse- quentæ rerum, & propè dixerim, quod incorpoream illam summamque naturam decet, contemnere adiecit enim Verbum, *Corporaliter*, cum aliter dicere non ha- beret, quam nostra intelligentia, & lingua consequi posset. Ne igitur cum iste simplicem nobis inhabita- tionem commemorat, putes aliquid cum dicere quod non admodum sit damnum.]

Ad firmamenta erroris posterioris.

Quæ pro altero suo errore, consequenter ad hunc primam hætenus contritum proferebat Nestorius, alia non occurrunt specialia & propria, quam quod cum diximus locum, qui B. Mariam agnoscerent Dei matrem affines esse Gentilium, quibus Cybele erat ma- ter Deorum. Ei dubitationi, à Theologo quodam propositæ, nō alter respondere Ildo. Pelusiora l. 1. epist. 14. quam attingendo propudia turpitudinum Cybe- les, eaque cum nitore plenissimo sanctissimæ Deiparæ componendo. Adhuc verò est, multitudine nu- minum, vt scire dicit S. Athanasius, esse nullitatem nu- minum. Quare quæ mater Deorum appellata est, eo ipso non est Deipara. At B. Maria rectè Deipara appel- latur, quia eum genuit in humanitate, qui verè erat Deus benedictus in secula. Itaque longissimè abest à Cybele Gentilium. Ex quibus omnibus concluditur, enodationem enigamatis diuinitus propositi à Nesto- rio traditam, prorsus falsam & abominandam esse.